

re per se bona, abutebantur, ex veris principiis male concludentes, dum de iis quæ sunt fidei, & captum humanæ rationis excedunt, judicant secundum causas naturales, sibi que naturaliter cognitæ, nec mentem attollunt ad Deum, qui naturam instituit, eamque mutare potest. Ex historicis h. l. repetendum, tempore apostolorum, & primis post eorum obitum seculis, fuisse plurimos, qui secularem philosophiam, præcipue *Platonicam*, cujus vana & falsa dogmata aliqui etiam miscebant, & dudum miscuerant cum traditionibus Judæorum, magno ausu & approbatione proponebant & divinis mysteriis applicabant. Hinc exortæ sunt hæreses Simonianorum, Gnosticorum, Valentinianorum &c. ut ostendit *Ehre Gott Daniel Colberg* in *Specimine Historico de orig. & progr. hæresium & errorum in ecclesia*. Hanc inanem & falsam *Platonicorum* doctrinam, ex qua, teste eodem *Colbergio* in *Platon. Herm. Christenthum* / omnia fere Fanaticorum placita ortum trahunt, quam homines illi tempore apostolorum pro philosophia venditabant, hanc inquam Paulus rejicit. Loquitur ergo apostolus non de philosophia officio suo fungente, sed de ea, quæ limites suos egressa, inanis evadit, & vana, & seductrix, quæ e Platone judicare vult de religione & mysteriis.

§. XVIII. Praxin denique antiquæ ecclesiæ, quasi argumentum κατ' ἀνθρώπων ecclesiis inprimis evangelicis objicit; ratus, primitivæ patres ecclesiæ neque tantopere studiis philologicis operam dedisse, neque unquam logicas argumentationes in theologicis admisisse, sed artem disputandi tantum non omnes damnasse. Hinc concludit in locum *philologiæ* substituentam